



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

V. Qvod Rediit Ad Ecclesiam Hirsaugiensem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

inquam datum licet præbitum esset, adipiscenda, sed pro
iam adepta & de post facto frater suus Imperatori grates
per munera reculisset.

QVOD REDIIIT AD ECCLIE-
siam Hirsaugiensem.

RELICTO igitur Regimine LORSACENSI, tan-
quam bonę opinionis ac famę diluuiio ad archā
reiquiei suę, id est, ad HIRSAUGIENSEM Eccle-
siam & ad suum Noe Beatum videlicet VVILHELMVM,
tanquam emissa columba reuertitur, non sine ramo tamē
virentibus folijs venustato. Nam secuti sunt eum discipu-
li eius, non minus quā quadraginta, quos apud LORSAC-
CVM sub spacio vnus anni quo inibi præfuit, Deo colle-
gerat, vt quam fructuosus in vera vite palmes hic esset, Ioan. 15.
ipsa vbertate geniminis monstraretur. Denique in baculo
suo curę videlicet pastoralis, solus transierat ad LORS-
SACENSE Cœnobium, & nunc cum turmis discipulorum
reuertebatur HIRSAUGIAM: quorum collectio tanquam
ramusculus de hac sancta radice confurgens, paternę vir-
tutis gratia virescebat. Hi ergo ab eo separari non susti-
nentes, sicut ouiculę, dicentes non quidem verbis sed fa-
cto: Verba vitę æternę habes ad quem ibimus? pastorem Ioan. 6.
suum vsque HIRSAUGIAM lequebantur. Vbi & Gal. 4.
tanquam Angelus DOMINI cum honore susceptus,
benignissimē pertractatur, quippe cuius ibi sanctitatis præ-
conia non latebant. Porro propter nos homines & pro-
pter nostram salutem, qui præsentem locum incolimus
à Domino factum est istud, vt occasione quacunque oli-
ua fructifera & vere vitis abundans illic euelleretur &
transplantaretur in hac vinea DOMINI Sabaoth, quam

dextra Domini per sanctum OTTONEM BABERGENSEM Episcopum tunc fundauerat & compleuerat, vt hæc nouella recensq; plantatio de mundi Ægypto translata, mitteret altius sub tam industrio vinitore radices, dum quod sanctus OTTO plantauerat, hic rigaret, vtriuslibet meritis & obrentu domino dante desuper incrementum. Deo igitur nobis melius aliquid providente, quam humana solertia prævaleret, actum esse non ambigamus, quod columbinam hanc animam, & venalitatē, vt dictum est, Symoniacæ putre contagium sic horrētem, archa HIRSAVÆ IÆ, à prima missione recepit, vt occasione hac secundo mitteretur, vnde non esset vltius reuersura. Ipso siquidem tempore Deo dignus antistes OTTO Episcopus Babenbergensis, Monasterium, sicut diximus, PRVVERVNGENSE fundauerat, cuius quidem possessionem ac fundum, intercedente coëmptione legitima, iustisque concambijs, nostro dominio comparauit, cum antea iuris alterius extitisset. Cæterum non humana voluntate allata est eadem fundandi voluntas, verum reuclatione sibi facta diuinitus euidenti, cuius opportuna occasione accepta hic modum ac seriem inseremus.

DE FVNDATIONE ECCLESIAE in Prusfinnge.

VI.



ENRICVS etenim quintus eiusdem nominis Imperator RATISPONÆ curiã solemnem indixerat regni principibus vniuersis, & misit scriptum suum hora curiæ memoratæ, conuocatis dicere vt venirent. Itaq; cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Curiam Augustalem, affuit & venerabilis OTTO BABENBERGENSIS Antistes